





205  
12  
G. 16. num. 12. 1726 19 14

DE  
EDICTI PRAETORII:

7. 20,  
1. 20,  
QUOD QUISQUE  
IURIS IN ALTERUM STA-  
TUERIT, UT IPSE EODEM  
IURE UTATUR

ORIGINE ATQUE USU APUD  
VETERES

DISSERIT ET

LECTIONES HOC SEMESTRI HABENDAS  
HONORATISSIMIS DOMINIS  
COMMILITONIBUS

INDICAT

CAR. GOTTLIEB KNORR

I. U. D. & Prof. P. in Acad. Fridericiana.

HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis IO. CHRISTIANI HILLIGERI Acad. Typ.



51. mens. 07. 0.

200

EUROPEAN LIBRARY

CICERO IN I, AD FRATR, EP.

Vt quisque est vir optimus, ita difficillime  
esse alios improbos suspicatur,

201

21



SVCCINCTA EXPOSITIO TITVLI PAN-  
DECTARVM:

QVOD QVISQVE IVRIS IN AL-  
TERVM STATVERIT, VT IPSE EODEM  
IVRE VTATVR.

s. I.



Varia sunt, COMMILITONES SVAVISSIMI,  
iuris Romani capita, quæ extra vsum ef-  
se vno ore fatentur interpretes. Si vero æ-  
curatius definjendum, quæ sint extra vsum?  
hærent ancipites & quæ hic etiamnum vi-  
gere tradit, ille diu desuetudine adum-  
brata, vel nunquam fuisse recepta conten-  
dit. Fecit hic interpretum dissensus, vt iu-  
re quodammodo vivere videamur incerto. Qui autem singula  
perpendit diligenter, non doctorum suffragio, sed rationum pon-  
dere nixus, ei difficile non erit soluere nodos & de vsu iuris Ro-  
mani differere quam accuratissime. Nostis, COMMILITONES, quæ  
mea hucusque in iuribus docendis fuerit ratio, quæ fides in La-  
tiii legibus enodandis, quæ methodus in tradendis patriis iuribus,  
moribus, consuetudinibus. Non enim ego exeorum sum nume-

A 2

ro,

ro, qui sibi met solis sapiunt aliorumque meditata alto contemnunt supercilio, nec aliquid solidi, nisi ab ipsis, posse vel dici, vel scribi absone credunt. Nihil potius mihi magis curæ fuit cordique, quam ut diurna nocturnaue manu versarem doctorum virorum volumina singulaque in meos usus converterem. Quæ etiam in re me vestrum, AUDITORES, quibus me meaque dudum consecravi, meruisse calculum impense lætor.

## §. II.

Sed cum, Deo providente, denuo fiat indicandæ prælectiones vernaes, a scopo non alienum mihi fuit visum præfari nonnulla de edicto Prætoris: QVOD QVISQVE IVRIS IN ALIUM STATVERIT UT IPSE EODEM IVRE UTATUR; eo tamen pacto, ne illico postcatis tabellam & me, causâ nondum dicta, præcipiti suffragio condemnetis. Edixit prætor: *Qui magistratum potestatemve habebit, si quid in aliquem NOVI IVRIS statuerit; ipse quandoque, ADVERSARIO POSTVLANTE, eodem uti debet. Si quis apud eum, qui magistratum potestatemve habebit, aliquid NOVI IVRIS obtinuerit, quandoque postea ADVERSARIO EIVS POSTVLANTE, eod. in iure adversus eum decernetur. Scilicet, ut quid ipse quis in alterius persona æquum esse credidisset, id in ipsius quoque persona valere patiatur.*

## §. III.

Oleum vero & operam perderem, si de huius edicti usu differerem, antequam curate expendissem, qua motus ratione prætor illud proposuerit. Non equidem fert animus ea quæ in dissertatione de Prætoris & iudice pedaneo tradidi hic repetere; interim tamen ordo postulat, ut ostendam exacte, quæ fuerint prætoris in edictis proponendis partes quæque iuris dicendi ratio. Sic enim coincident doctorum hominum dubia atque evanescent nubeculæ huic edicto obductæ. Numquam sane ego eo animo accedo ad scribendum, ut aliorum laudi aliquid detrachere coner eorumque tamam fugillarem, quin potius nihil faciam reliqui, ut placide meam proponam sententiam iisque qui in adversis militant castris non invideam si ipsorum inventa probentur eruditæ. Hæc sentiendi libertas si tolleretur inter eos, qui litteris operam dant,

dant, nã! misera esset reipublicæ litterariæ facies! Altas ageret radices auctoritatis præiudicium, quod tamen funditus extirpandum. Hoc enim misso detegitur veritas, obscura in clariori luce collocantur, ambigua explicantur, falsa confutantur, insulsa exploduntur. Suaviter propterea soleo ridere homines qui nunquam dicunt sententiam, nisi numero & terrifico doctorum agmine sint stipati, qui nunquam ipsimet iudicant, sed ita Bartolum Baldumque ceteraque clarissima, si deo placet, lumina iudicasse clamitant. Terant ætatem in hoc ignorantia pistrino, consenscant inter illiteratissimas hæc litteras, ego ipsis hanc felicitatem nunquam invidabo, perreçturus interim ea, qua consuevi, methodo vobis, commilitones, exponere Latii Patriique iuris fundamenta.

§. IV.

Vt ergo quam accuratissime intelligatis, Commilitones, edictum prætoris quod explicare in animum induxi, silentio præteriri non debet, prætorem haud quidem potuisse leges condere, bene tamen easdem emendare, supplere, corrigere idque æquitas obtentu, quam æquitatem pedetentim approbavit populus indeque event, vt quæ in edictis proposuissent prætores vetustate invalescerent & consuetudinis vim obtinerent. Clarissime id indicat CICERO *L. II. de invent. c. 22. consuetudinis autem, inquit, ius esse putatur id quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobavit. In ea autem iura sunt quedam ipsa iam certa propter vetustatem: quo in genere & alia sunt multa & eorum multo maxima pars quæ PRÆTORES EDICERE consueverunt.* Ex quo abunde constat, edicta prætorum non fuisse leges, attamen sensim legum vim tacito vrentium consensu obtinuisse GVIDO PANCIOLOLVs *Theaur. Var. Lect. L. I. c. 34.* Quod si enim prætores ea polluisent auctoritate, vt leges condere potuissent, non sane tot ambagibus variisque coloribus atque novis hanc in rem inuentis vocabulis opus fuisset. Semper vero prætor edicebat sub initium magistratus sui qua ratione hoc anno ius dicturus sit Quiritibus. Et hæc edicta vocabantur annua & perpetua. Sed quando casus  
no ve

nove emergerent in more positum erat pratori, ut huius negotii causa edictum proponeret. Illa perpetua dicebantur, quia durante officio & magistratu perpetuo durabant; hæc temporaria & specialia, quia in speciali negotio edicebat prator EZECH. SPANHEM, in *Orbe Rom. Exercit. II. c. 8.* AVERRAN. *Interpret. Jur. L. I. c. 5. n. 26.* Ut igitur ambitiosi & avari pratores vel ad gratiam sibi conciliandam, vel pecuniam cogendam pro lubitu possent ius dicere, non omnia edicto ab anni seu praturæ suæ initio proponi solito complectebantur. Imo aliquando eo processit eorum improbitas, ut edictum propositum immutarent aliudque eius loco, unde iura civibus darent proponerent. Non e longinquo accersenda sunt huius rei testimonia. Nam DIO CASSIUS L. XXXVI. *Prætores, inquit, quomodo ius dicturi essent conscriptum in albo proponebant, sed neque OMNIA COMPREHENDEBANT quæ ad contractus pertinent; neque id SEMEL FACIEBANT; neque ea, quæ scripta PROPOSVERANT, OBSERVABANT: atque id plerumque, ut usu venire solet, in GRATIAM vel ODIUM alicuius faciebant. Igitur rogationem tulit (CORNELIUS) ut statim suscepto MAGISTRATU edicerent, quomodo ius dicturi essent, neque ab HIS, QUÆ EDIXISSENT, RECEDERENT.* Et CICERO acriter VERREM prætorem urbanum, qui iniuste adversus proprium edictum decreverat, insectatur c. 119. *Et cum, ait, edictum totum eorum ARBITRATU, quamdiu fuit designatus, componeret, qui ab isto ius ad UTILITATEM SVAM nundinarentur; Tum vero in magistratu CONTRA EDICTUM illud suum sine VLLA RELIGIONE decernebat. Cap. 120. Nam quæso, redite in memoriam, iudices, quæ LIBIDO istius in iure dicendo fuerit, quæ VARIETAS decretorum, quæ NVNDINATIO, quam inanes domus eorum omnium, qui de iure civili consuli solent. Deinde: cum erat ad eum ventum & in aures eius insufurratum, alias revocabat eos, inter quos iam decreverat, decretumque MUTABAT: alias inter alios CONTRATIUM sine vlla religione decernebat, ac proximis paullo ante decreverat.*

## §. V.

Sed ut hæc omnia accuratius intelligamus, opus est, ut qui-



quibus limitibus tandem circumscripta fuerit iniquissima hæc prætorum licentia edisseramus. Scilicet, ne ab edicto, quod intro magistratus proposuissent, recedere possent sc̄to A. V. DLXXXV. cautum: VT PRÆTORES EX SVIS PERPETVIS EDICTIS IUS DICERENT. PIGHIVS *Annal. L. XI. p. 378.* REINES. *Inscript. syntagm. p. 349.* Quid itaque mirum, Ciceronem Verris nefarios ausus acriter fuisse insectatum, cum sc̄tum hanc edictorum varietatem & nundinationem nonaginta sex septemue annis ante sustulisset. Instituta enim fuit Verris accusatio A. V. DCLXXXIV. Crasso & Pompeio Coss. Cum ergo præter fas omne ita flagitiose contra edictum suum toties decrevisset Verres aliquæ procul dubio prætores eius exemplo fuissent incitati, factum, vt A. V. DCLXXXVI. L. Cornelius Sulla Tr. pl. nova lege illud sc̄tum stabiliret atque rogationem ferret, vt prætores ex edictis suis perpetuis ius dicerent. Clarissime id patet ex loco CASSII §. IV. adducto & ASCONII PEDIANI testimonio in *argum. Orat. pro C. Cornel. p. 123. vbi: aliam deinde, inquit, legem Cornelius, nisi nemo REPVGNARE ausus est, multis tamen INVITIS tulit, vt PRÆTORES EX EDICTIS SVIS PERPETVIS IUS DICERENT. Quæ res tum GRATIAM AMBITIOSIS PRÆTORIBVS qui VARIE ius dicere assueverant, sustulit.*

§. VI.

Ex his facile erit ad intelligendum, quid occasionem dederit edicto prætoris: *Quod quisque iuris in alium statuit &c.* Cum enim ita variè & inique gratia vel odio quorundam moti, vel avaritia stimulati ius dicerent & non solum flagitiose novis negotiis nova adplicarent edicta atque inique decernerent; sed etiam præter fas omne malitiose edicta immutarent eorumque arbitratu componerent qui ab ipsis ius ad utilitatem suam nundinarentur, hæc iniquissima licentia erat coercenda. Quod si vero inquirere velles, quis primus hoc edictum proposuerit quoque anno V. C. id fuerit factum, frustra operam impenderes, cum nullum huius rei

rei in veterum monumentis extet vestigium. Est mihi tamen admodum opinabile edictum hoc esse antiquum illo sc̄to quod A. V. DLXXXV. conditum fuisse scripsi. Nam prætor quidam, vir iustus & æquus cum animadverteret, prætores plerosque ambitione, odio, avaritia ductos contra morem maiorum, contra ius & æquum sæpenumero ius dicere, visum ei fuit e re civium bonorumque omnium huic malo, ne longius serperet, hac pœna velut remedio quodam mederi & non solum magistratus iniquitatem, sed eius etiam qui illud postulaverat impetraveratque comprimere & vindicare DVAREN. *Disp. anniv. L. I. c. 49.*

§. VII.

Quamquam vero hac ratione prætor obviam ivit iniquitati ius dicentium; tamen nemo non animadvertit, illud haud impedimento fuisse magistratibus qui ius ab iis nundinantium arbitrato non solum componebant edicta; sed etiam ab edicto sub initium magistratus proposito nefarie recedebant, quin variis technis atque fraudibus vim eius elidere conarentur. Vnde effrenem hanc audaciam arctius constringere voluit sc̄tum & postea lex Cornelia. Ex quo sane confit, hoc sc̄tum fere fuisse neglectum atque defuetudine adumbratum. Quid enim alias opus fuisset lege Cornelia, qua idem cautum fuisse accepimus? Id quod etiam luculentissime patet ex ASCONII PEDIANI testimonio. Nam multis invitis hanc legem tulit Cornelius, sed propter eius potentiam nemo repugnare ausus est. Et hæc demum lex fecit, vt prætores sicut assueverant (scilicet contra illud sc̄tum A. V. DLXXXV. conditum) non amplius possent ita varie ius dicere. Ab hoc ergo tempore usum edicti prætorii evanuisse videri posset. Sed cum exploratum sit, liberum fuisse successoribus in magistratu immutare antecessorum edicta, etiam nullus dubito, quin sæpe ambiguus vsi sint verbis, vt ea pro arbitrato ius ab ipsis nundinantium possent interpretari, adeoque vsu non prorsus caruisse edictum nostrum.

Sed

Sed posteaquam edictum vere perpetuum produit, rarior procul dubio fuit eius usus, licet illud pandectis inseruerit Tribonianus ordinem edicti perpetui secutus, & quia putabat, etiam eius malitiam qui inique leges interpretatur atque ambitiose ius dicit esse refrenandam.

§. VIII.

Postquam edicti originem indicaui, dabo operam, ut eius mentem explicem & ostendam exacte, quem habuerit usum apud veteres. Ait vero prætor; *qui Magistratum potestatem-ve habebit.* Est enim vulgo norum, magistratus urbanos per excellentiam fuisse dictos magistratus populi Romani *l. 12. pr. D. de accusat.* Provinciales autem proprie non sunt magistratus, sed magistratibus funguntur indeque proprætore, proconsules vocantur atque potestatum nomine veniunt *l. 13. §. 1. D. de Iurisdict.* Hinc IUVENALIS:

*An Fidenarum, Gabiorumque esse POTESTAS.*

Et SVETON. in *Claud. c. 23. iurisdictionem, inquit, de fideicommissis quotannis & tantum in vrbe delegari solitam in perpetuum atque etiam per provincias POTESTATIBVS demandavit.* VLPIANVS *Tit. 25. n. 12. scribit: de fideicommissis cognovisse præfides PROVINCIARVM.* Ex omnibus causis vero de quibus vel præfectus urbi, vel præfectus prætorio itemque consules & prætores ceterique Romæ cognoscebant, correctorum & præsidum provinciarum erat notio *l. 10. de offic. præsid.* Potestates de cetero erant illi magistratus qui habebant imperium quod acute declarat AVERRANI *Interpr. Iur. L. 1. c. 4.*

§. IX.

Ait porro prætor: *Si quid in aliquem novi iuris statuerit.* Nouum hic idem est prætori ac insolitum & iniquum quod patet *ex l. 3. b.* Eodem sensu accipiendus CICERO in *VERREM L. III. Veniunt ad Chelidonem: domus erat plena, NOVA IVRA, NOVA DECRETA, NOVA IUDICIA postulabantur.* Facit huc locus TACITI *L. II. Annal. c. 30. Quia vetere, inquit, senatusconsulto questio in caput domini prohibebatur, callidius & NOVI IURIS REPERTOR Tiberius mancipari singulos actori publico iubet: scilicet ut in Libonem ex servis salvo senatusconsulto quaereretur.* Nouum itaque vocat id quod in fraudem legum

B

at-

atque senatusconsultorum excogitatur. Hæc autem verba interprete VLPIANO l. 1. §. 2. b. quod statuerit qui iurisdictioni præest cum effectu accipimus, non verbotenus, & ideo, si quum vellet statuere, prohibitus sit, nec effectum decretum habuit cessat edictum. Nam statuit verbum rem perfectam significat, & consumatam iniuriam, non cœptam. Et si ideo inter eos quis dixerit ius, inter quos iurisdictionem non habuit: quoniam pro nullo hoc habetur, nec est vlla sententia, cessare edictum putamus. Quid enim obfuit conatus, cum iniuria nullum habuerit effectum? Cum ergo dolus ius dicentis puniri debeat, facile est ad intelligendum, quare si assessoris imprudentia ius aliter dictum sit quam oportuit, non debeat hoc magistratui officere, sed ipsi assessori l. 2. b. Assessorum enim officium erat, ius suggerere magistratui a quo in consilium adhibebantur l. 1. D. d. offic. adsess. l. 1. C. eod. NODT *de Jurisd. & Imper.* l. 1. c. 10. V. C. HEINEC. *Antiq. Rom.* l. IV. Tit. 6. §. 9.

## §. X.

Ait deinceps prætor: ipse quandoque adversario postulante eodem uti debet. Scribit enim VLPIANVS l. 1. b.: Hoc edictum summam habet equitatem; & sine cuiusquam indignatione iusta. Quis enim aspernabitur idem ius sibi dici, quod aliis dixit, vel dici effecit? Non itaque est iniuria pati id quod feceris. Inde quoque CICERO in prima ad fratrem epistola quæ in magistratibus, inquit, iniuriose decreuerant eodem IPSIS PRIVATIS erat iure parendum. Et nota est Pythagoræorum sententia, qui iustum simpliciter τὸ ἀντιπεποβὸς hoc est mutuum pensionem seu talionem esse definiebant observante DVARENÒ loco §. VI. citato.

## §. XI.

Pergit prætor: si quis &c. aliquid novi iuris obtinuerit quandoque postea adversario postulante eodem iure adversus eum decernetur. Non enim in poenam edicti incidit, nisi postulante adversario. Nihil autem refert, sive is qui læsus est, sive alius quicumque contra eum experiatur. Clare id indicat VLPIANVS l. 2. §. 3. b. Hæc poena, inquit, adversus omnem statuitur, qui in edictum incidit; non solum eo postulante qui ab eo læsus est, sed omni qui quandoque experitur. Et sufficit,

ficat, modo ius iniquum impetrauerit, licet eo vsus non sit *l. 3. pr. b.* Opus tamen, vt ipso postulante impetrauerit, alias enim ex hoc edicto non punitur *d. l. 3. pr.* Transmittitur quoque poena ad heredes, si scilicet agunt ex persona defuncti *d. l. 3. §. 5.* non si ex propria docente SCHULTINGIO *h. l. §. 6. p. 209.* Quae sequuntur in *l. 1. b.* non sunt edicti verba, sed quod verosimile videtur NOODTIO h. veteris cuiusdam interpretis. Quamquam enim, verbis NOODTIVTOR, Vlpiano tribui possent, tamen nihil attinebat hic repeti ab eo, quod optime dictum erat initio *l. 1. eod.*

§. XIII

Expositis edicti verbis, exacte nunc ostendendum, qua ratione evenire poterit, vt in edicti poenam incideret is qui ius novum statuerat impetraveratque. Sed, quod non animadvertent omnes, in ipso titulo occurrit exemplum. Vlpianus enim *l. 3. §. 3. si is,* inquit, *pro quo spondidisti, IMPETRAVERIT, ne aliquis DEBITOR ipsius adversus eum EXCEPTIONE UTATUR, deinde ita in negotio in quo spondidisti, v. lis EXCEPTIO NE VTI: nec te, nec ipsum oportet hoc IMPETRARE: etsi interdum patiaris iniuriam, si solvendo debitor non sit. Sed si tu incidisti in edictum: reus quidem utetur excepti ne, tu non uteris, nec poena tua ad rem promittendi pertinebit: & ideo mandati actionem non habebis.* Casus est hic: Fideiussit Sempronius pro Titio, sed hic Titius dum debitores suos conveniret, impetravit a praetore iudicium purum, ne debitores uterentur exceptione aliqua peremptoria doli forte similiae. tam convenitur fideiussor Titii Sempronius a creditore, opponit ex persona debitoris principalis exceptionem, sed neque ipse, neque reus principalis postulante adversario auditur. Interim tamen actione mandati recte experitur contra Titium, licet fiat per accidens, vt patiatur iniuriam, cum Titius solvendo non sit. Sed si fideiussor eo quo diximus modo incidit in edictum, nihil obstat, quo minus Titius exceptione uti queat. Solus itaque fideiussor poenam incurrit neque auditur exceptione, adeo, vt ne quidem habeat mandati actionem, quia sua culpa ius excipiendi ex pacto rei sibi alias quaesitum amisit ipsiusque dolus coercetur. Nonne vero facillime etiam ponit contingere, vt magistratus qui ita ini- que decrevit cum munere functus sit, dolo induceretur ad promitt-

mittendum? Iuberet tunc æquitas, vt impetraret exceptionem, sed eam impetrare nequit, quia in prætura inique statuit, ne debitores Titii contra hunc vterentur exceptione. Et hoc sæpius factum esse, vel me tacente, ex testimonio Ciceronis §. X. ad ducto intelligitur.

## §. XIII.

Dabo aliud exemplum. Pacta legibus contraria non servat prætor l. 7. §. 7. *de pact.* Si itaque verbi gratia Titius pactus fuerit, ne agatur furti aut iniuriarum, si deinde furtum fecerit aut iniuriam. Tale pactum, quia continet causam turpem, dum sit contra legem, quæ furtum aut iniuriam admitti vetat, non valet l. 27. §. 4. *eod.* Iam igitur pono casum, obtinuisse a prætore Titium, vt vteretur exceptione pacti, incurrit in oculos prætorem jus dixisse inique novumque jus impetrasse Titium. Hinc si forte contigerit, vt Prætor vel Titius ex post facto tale inierit pactum furtive aut iniuriarum agat recte vtrique exceptio pacti opponitur. Vnicum adhuc accipite exemplum. Scribit ULPIANVS l. 52. *pr. D. de Pactis: epistola qua quis coheredem sibi esse cavet, petitionem nullam adversus possessores rerum hereditariarum dabit.* Igitur frustra cavemus aut paciscimur, vt is sit coheres cui neque ex testamento, neque ex lege delata est hereditas. Iam finge, edixisse prætorem: QVI EPISTOLA COHERES NOMINATVS, EI PETITIONEM ADVERSVS POSSESSORES RERV HEREDITARIARVM DABO. Obtinuit ergo is qui petebat hereditatem. Iam pono, magistratum qui ita edixit, vel illum qui impetravit ius iniquum epistola accepisse coheredem. Negant id valere, provocant ad leges; sed postulat adversarius, vt nunc eodem iure vtantur eumque vt coheredem admittant. Sine dubio pro eo pronuntiabit prætor.


## §. XIV.

Sed regeris: Ita ei qui passus est iniuriam non succurritur. Qui dolo fuit inductus solvitque prætore ita statuente id quod non debebat, damnum incurrit quod reparandum. Sed id hac ratione non reparatur, licet is qui ius iniquum statuit impetravitque puniatur. Verum enim vero est omnino quod responderi possit. Prætor scilicet IVS reddere dicitur etiam cum INIQUE decernit: relatione facta non ad id quod ita prætor fecit, sed ad illud

illud quod prætorem facere convenit *l. 11. D. de F. & I.* Inde MARCIANVS *l. 65. §. 2. ad scil. Trebell. cum prætor, inquit, cognita causa per errorem vel etiam AMBITIOSE iuberet, hereditatem ex fideicommissio restitui: etiam publice interest restitui propter rerum iudicatarum auctoritatem.* Et VLPIANVS *l. 3. D. de agnosc. vel alend. liber. Sive contra, ait, pronunciaverit: non fore suum (scilicet partum) quamvis suus fuerit. Placet enim eius rei iu. licem IUS FACERE, & ita Marcellus libro septimo Digestorum probat: eoque iure utimur.* Velim attendas ad verbum AMBITIOSE quo vitur lectus in *d. l. 65.* Ambitiose enim & inique ius reddere eodem sensu accipiuntur per *§. V.* Igitur ius facit magistratus, licet decernat inique & ambitiose atque res iudicata pro veritate accipitur *l. 207. de R. I.* Hinc prætor edicto cavere non poterat, ut ius non faceret inique decernens, cum legum condendarum penes ipsum non esset potestas.

§. XV.

Supereft, ut de hodierno huius edicti vsu dispiciamus. Sed cui est mens adeo læva pectusque adeo obtusum, qui non clarissime intelligat, nihil ineptius fingi posse, quam hodiernum huic edicto aliquem tribuere vsum? Solent equidem vulgo retorſiones ex eo derivare. Sed quam absurda sit hæc adplicatio incurrit in oculos. Nam dolum tam eius qui inique ius dixit, quam illius qui istud impetravit punit; ius vero diversum in vsu esse potest sine dolo adeoque non iniquum. Vnde cum magis ex æquitate naturali glossisque doctorum deducendum sit ius retorſionis, ut scilicet servetur æqualitas inter æquales, hodiernus edicti vsus, quem commenti sunt doctores, vanescit. Interim tamen non dissimulo, eos rem acu tetigisse, qui ius retorſionis, sicuti nunc obtinet, sapissime iniquum esse contenderunt. Non enim is patitur iniuriam qui æquo cum civibus nostris iure vitur. Sed si peregrinis ius dicitur diversum, retorſione nihil erit æquius. Cum vero hæc ab aliis luculenter sint exposita eorum scripſura expilare nolo. Sed potius ad vos COMMILITONES HONORATISSIMOS me converto, ad vos inquam, qui ad celeberrimum hoc Musarum sacrarium veluti ad quendam mercatum confluitis, quique mea qualicumque hucusque vsi estis insti-



tutione, in qua me etiam ita esse versatum confido, vt liceat mihi fructum vberrimum ad conscientiam meam referre. Quem admodum vero in posterum quoque omnem movebo lapidem, vt, si Deus O. M. vitam produxerit, vestra studia iuvare queam; ita inprimis hoc semestri æstivo ea quæ sequuntur collegia auspicari constitui.

PUBLICÆ Hor. X. & III. expositioni PANDECTARVM vacabo. Elegi hunc in finem B. LVDOVICI doctrinam Pandectarum quam facillima methodus commendat quaque vsus sum hucusque non sine insigni auditorum fructu.

PRIVATIM I) Hor. IX. STRUVII *Jurisprudentiam Rom. Germ. Forensẽ* ita explicabo, vt vsum Juris Romani in foris Germanorum accuratissime cognoscatis.


II) Hor. XI INSTITVTIONES IVSTINIANEAS ex ipsis antiquitatibus illustrabo forique vsum ostendam exacte.

III) Hor. denique II. IVS NATVRÆ ET GENTIVM duce PVFFENDORFIO in eleganti libello de *officio hominis & civis*, præmissa succincta juris Naturæ historia, perspicue docebo.

Neque iis etiam deero qui Collegium Pandectarum examinatorum efflagitarunt. Prælectionum initium facturus B. C. D. finita prima nundinarum Lipsiensium septimana h. e. XX.

Maji, P. P. in Academia Fridericiana die VII. Maji.

MDCCXXVI.





Halle, Diss., 1726 C-Z

ULB Halle

004 306 988



3

f

5b.







205  
12

G. 16. num. 12. 1726 19 14

DE  
EDICTI PRAETORII:

**QUOD QUISQUE  
IURIS IN ALTERUM STA-  
TUERIT, UT IPSE EODEM  
IURE UTATUR**

1726

ORIGINE ATQUE USU APUD  
VETERES

DISSERIT ET  
LECTIONES HOC SEMESTRI HABENDAS  
HONORATISSIMIS DOMIMIS  
COMMILITONIBUS

INDICAT

**CAR. GOTTLIEB KNORR**

I. U. D. & Prof. P. in Acad. Fridericiana.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis IO. CHRISTIANI HILLIGERI Acad, Typ.

